

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Consciencia c  
cum fonte primo

Vnusquisque non intermittat opus probabile,  
siue a pluribus uideatur, siue sine arbitro sit.  
Habundat enim sibi locuplex testis conscientia.  
Fugiat eciam mala et obprobria,  
eciam si se credat non posse conuinci.  
Nam et si clausus parietibus sit  
et coopertus tenebris sine teste, sine conscientia,  
habet tamen facti arbitrum quem nichil fallat  
ad quem facta clamant omnia.  
Denique clamauit et uox sanguinis.  
Se ipsum unusquisque et  
animum suum seuerum iudicem sui  
ultorem sceleris et vindicem criminis habet.

Ambrosius in epistola ad Constancium.

Edoce etiam atque institue,  
ut faciant quod bonum est, et  
unusquisque non intermittat opus probabile,  
sive a pluribus videatur sive sine arbitro sit;  
abundat enim sibi locuples testis conscientia.  
Fugiat etiam mala opprobria,  
etiamsi se credat non posse convinci.  
Nam etsi clausus parietibus sit  
et opertus tenebris, sine teste, sine conscientia,  
habet tamen facti arbitrum quem nihil fallat,  
ad quem facta clamant omnia.  
Denique clamavit et vox sanguinis.  
Se ipsum unusquisque <....>,  
animum suum severum sui iudicem,  
ultorem sceleris et vindicem criminis habet.

Ambrosius Mediolanensis, *Epistolae*, 36.9-10  
(CSEL 82.2, M. Zelzer ed., p.7, ll.83-94).